



Excellētissimo Principi Petro Luis de Alen
neses Marchioni de Mariana Comiti de Santa
nhede Serenissimi Regis Hippocoma maximo su
biculario emerētissimo Opi di de Cascaes Tribuno
Strenuissimo In Obstricti amoris emblemā
in officiosa gratitudinis praconium.



PRO PRIORI ACADEMICO CERTAMINE DISCUTIENDO

CONCIVISIONES DEDVCTAS PONTIFICIAS

EX ELLEGANTISSIMO, PARITERQUE
DIFFICILITRACTATO ADTEXT. LABORIOSUM IN REGULA
CONTACTUS 82 de regulis juris lib. 6.

P R E S I D E

ILLUSTRISSIMO D. D. ANDREA BERNARDEL AGRIS
Rectoris Cathedrae moderatoris substitutus, Honoris sedis Canonice
forali et universali in causis juris publici integerrimo, in D. Petri Col
legio olim Collegae, ac sapientis & docti desideratissimo, ad
curandam pro merito omnium votis expectato.

DEFENDENDAS PROPONIT

EMMANUEL PACHECO DE MELLO
suo quinto juris anno, die Martij hora insolita.

QUAESTIO PRINCIPALIS

Utrum si ex contractu factus sit error in re, et si error in re
quiritur, deest scilicet tenentur posse separatis iuris, deest consentire
et dominium remanet detentum ad contractum transactum. Affirmative.

PRO CONTRACTUS ETIMOLOGIA ET DEFINITIONE

- 1 O C nomen contractus, quod a contractu dicitur, sed etiam a contrahendo.
- 2 contractus, quod est vinculum iuris, dicitur.
- 3 Regit definitio contractus: Dicitur, quod est vinculum iuris, dicitur.
- 4 Hae definitio generalis est, omnesque contractus continent.
- 5 Definitio, quod contractus, in alio, sit, quod non est admodum.
- 6 Tunc, & negotiorum gestio non tenentur iuris vinculum.
- 7 Pupillus sine tutoris auctoritate non potest obligari.
- 8 Nec etiam tutoris potest aliquid obligari, nisi ad iuramentum.
- 9 Si vero ex re locupletior factus fuerit, non est obligatus.
- 10 Quod idem de pupillo continetur, sed non est obligatus, nisi ad iuramentum.
- 11 Hae sunt provenient.
- 12 Ad iuramentum ad hoc, ut pupillus locupletior factus fuerit, non est obligatus.
- 13 scriptum.
- 14 Respondeo in iuribus contractus ad iuramentum.

PRO PRIORI ACADEMICO CERTAMINE DISCUTIENDO.

PONTIFICIAS CONCLUSIONES

DEDUCTAS

EX ELEGANTISSIMO, PARITERQUE

difficili tractatu ad text. laboriosum in regula

contractus 85. de regulis juris lib. 6.

P R Æ S I D E

ILLUSTRISSIMO D. D. ANDREA BERNARDES AYRES,

Primariæ Cathedræ moderatore subtilissimo, Eborensis Sedis Canonico Do-

ctorali ornatissimo, in causis fidei iudice integerrimo, in Divi Petri Col-

legio olim Collega, ac sæpius Rectore desideratissimo, ad

maiora, pro meritis, omnium votis expectato.

DEFENDENDAS PROPONIT

EMMANUEL PACHECO DE MELLO

suo quinto juris anno, die 30 Martij hora insolita. *9 mane*

QUÆSTIO PRINCIPALIS,

Vtrum Si extraneus marito futuro dotem tradat, & ante quam nuptiæ sequerentur, deceßerit, teneantur postea sequutis nuptijs, hæredes consentire, ut dominium rerum dotalium ad maritum transferatur? Affirmativè.

PRO CONTRACTUS ETYMOLOGIA, ET DEFINITIONE.

- 1 **H**OC nomen contractus, quod à græco idiomate, *synallagma*, nuncupatur, à verbo *contraho*, quod est vicissim trahere, derivatur.
- 2 Rectè definitur contractus: *Duorum, plurium vè conventio, ut quid alter alteri præstet, per se civilem obligationem producens.*
- 3 Hæc definitio generalis est, omnesquè contractus comprehendit.
- 4 Definitio, quod contractus, sit *ultrò, citroq;* obligatio non est admittenda.
- 5 Tutella, & negotiorum gestio non rectè contractibus annumeratur.
- 6 Pupillus sine tutoris autoritate nequit ex contractibus obligari.
- 7 Nec etiam furiosus potest aliquo obligationis vinculo adstringi.
- 8 Si verò ex re locupletior factus fuerit, tunc efficaciter tenetur.
- 9 Quod idem de pupillo confitemur, si locupletior fiat ex contractu, vel obligatione *re*, seu ex *facto* proveniente.
- 10 Attamen ad hoc, ut pupillus locupletatus ex contractu teneretur, necessarium fuit D. Pij rescriptum.
- 11 Respectu furiosi contrarium affirmamus.

- 12 Actio competens contra pupillum locupletiolem factum ex contractu, utilis dicitur.
- 13 Si tamen actio ex re merè dimanet, directam esse, non dubitamus.
- 14 Sicut etiam actio competens contra furiosum ex re obligatum directa est.
- 15 Pro pupillo, & furioso efficaciter obligatis potest intercedere fideijussor.
- 16 Contractus celebratus cum pupillo, absque tutoris autoritate adstringit solum cōtrahentem, non verò pupillum.

PRO PRIMA CONTRACTVVM DIVISIONE.

- 17 **R**ectè dividuntur contractus in nominatos, seu certos, & innominatos, seu incertos.
- 18 **N**ominati sunt illi, qui elegans, & speciale in jure nomen habent, certamque formam, & specificas differentias, per quas quidem ab alijs manifestè separantur.
- 19 Actionis propriæ productio, & legis civilis approbatio in illis essentialiter requiritur.
- 20 In istis requisitis, & non solum in nomine eleganti nominatorum essentia consistit.
- 21 Contractus nominati, re integra, regulariter pænitentiam non admittunt.
- 22 Nec pro illis competit condictio ex capite rei non sequuta.
- 23 Pro contractibus nominatis actio præscriptis verbis non resultat.
- 24 Contractus innominati illi vocantur, qui speciali nomine sunt destituti, & specifica differentia non gaudent.
- 25 Isti tales actionem propriam non producant, & legis civilis approbatione carent.
- 26 Supradicti contractus veram, & propriam contractus naturam sortiuntur.
- 27 Contractus isti non ex conventionem, sed ex implento obligationem, & actionem producant.
- 28 Ad hoc ut ex his contractibus obligatio oriatur, sufficit ex una tantum parte implementum.
- 29 Prædicti contractus pænitentiam admittunt, sive re integra, sive dato implemento ex una parte, respectu ipsius implentis.
- 30 Omnes innominati contractus sub triplici tantum classe distribuuntur, nempe: *do, ut des, do, ut facias, & facio, ut facias.*
- 31 Species illa *do, ut facias, & facio, ut des,* unicum contractum constituunt.
- 32 Actio, quæ pro contractibus innominatis competit, est generalis præscriptis verbis.
- 33 Talis actio soli implenti conceditur, alteri verò denegatur.
- 34 Implens agere potest per hanc actionem ad implementum, vel ad interesse.
- 35 Pro his contractibus innominatis competit condictio ob rem dati re non sequuta.
- 36 Innominati contractus reales dicuntur.
- 37 Nomine Emptionis, & venditionis cæteri contractus non comprehenduntur.

PRO PERMVTATIONIS CONTRACTV.

- 38 **P**ermutatio à præpositione per, & à verbo mutatio componitur.
- 39 **R**ectè describitur Permutatio: *Conventio, qua res datur, ut alia detur, ab ipsa datione civilem obligationem producat.*
- 40 Permutatio veram contractus rationem obtinet.
- 41 Talis contractus ad innominatorum classem pertinet.
- 42 Ab Emptione, & venditione contractus iste distinguitur.
- 43 Contractus mutui, & stipulationis certi nominati sunt.
- 44 Placitum de permutando non est vera permutatio.
- 45 Nec etiam permutatio dici potest, quamvis placito stipulatio adjiciatur.
- 46 Quod etiam procedit, etiam si alterius contractus cohærentia roboretur.
- 47 Actiones in his terminis ortæ potiùs adhærentium contractuum, quàm permutationis dicuntur.
- 48 Permutatio ante rei traditionem obligationem non producit.
- 49 Ad permutationem constituendam in esse contractus sufficit ex una tantum parte implementum.
- 50 Post mutuum adhuc implementum, aliquæ resultant actiones.
- 51 Pro permutationis contractu generalis præscriptis verbis actio competit.
- 52 Ista actio non solum ad implementum, sed ad interesse extenditur.
- 53 Permutatio pænitentiam non excludit.
- 54 In illa locum habet condictio ob rem dati re non sequuta.
- 55 Inter permutationem, & contractum *do, ut des,* nulla militat differentia.
- 56 Permutatio de specie ad speciem, vel de genere ad genus, vel de genere ad speciem, vel è contra celebrari potest.

- 57 Idem de alijs contractibus innominatis practicatur.
 58 Permutatio inter contractus reales elucet.
 59 Attamen permutatio à contractibus nominatis realiter distinguitur.

PRO PERMUTATIONIS GABELLA, ET PÆNA COMMISSI.

- 60 **G**abella tantummodo ex contractibus onerosis debetur.
 61 Ex permutationis contractu etiam debetur gabella.
 62 Ex solo permutationis placito solvi non debet.
 63 Quod idem procedit, casu, quo tale placitum stipulatione, vel alterius contractus cohærentia stabilitum proponitur.
 64 Ad solutionem gabellæ ex una tantum parte non sufficit implementum.
 65 Ad effectum gabellæ solvendæ necessarium est, quod partes à contractu recedere nequeant.
 66 Si duo fuerint gabellarij, unus tempore conventionis, alter verò traditionis tempore, potius secundo, quam primo solvi debet.
 67 Si verò tempore primæ traditionis unus esset gabellarius, alter verò tempore posterioris traditionis, primo gabella solvenda est.
 68 Emphyteuta, irrequisito domino, rem Emphyteuticam permutans incidit in commissum.
 69 Ex permutationis conventionione jure suo non cadit.
 70 Licet huic conventioni subjecta stipulatio, alius vè contractus sit.
 71 Traditio, & contractus perfectio ad hujusmodi pænam desideratur.
 72 Traditio prius facta ex parte Emphyteutæ, sufficit ad incurrendum commissum.
 73 Quando verò Emphyteuta ultimò adimplet, tunc necessarium esse utriusque partis implementum.
 74 Si ex pænitentia, alia vè causa recuperata fuerit Emphyteusis, lite non dum contestata, ex æquitate commissum evanescit.

PRO TRANSACTIONIS CONTRACTU.

- 75 **T**ransactio à præpositione *trans*, & *actio*, dicta est.
 76 Transactio, vel accipitur genericè, vel improprie, vel specificè, & proprie sumitur.
 77 Attento quocunque modo omnibus caret requisitis substantiam contractus nominati agnoscentibus.
 78 Innominatorum vexillum sequitur transactio.
 79 Transactio per pactum nudum potest celebrari.
 80 Excitata lite circa verbalem obligationem, transactio per simplicem acceptilationem rectè celebratur.
 81 Potest etiàm confici transactio per stipulationem Aquilianam, acceptilatione sequuta, si lis sit mota, super alia obligatione, quæ verborum non sit.
 82 Ad constituendum contractum transactionis sufficit ex una tantum parte implementum.
 83 Implemento aliqua ex parte sequuto, actio ex transactione resultat.
 84 Explacito transactionis verus transactionis contractus non oritur.
 85 Quamvis stipulatio, vel alterius contractus cohærentia pacto transactionis adjiciatur, nihilominus transactio non resultat.
 86 Ex cohærentia alicujus contractus perfecti transactionis pacto, aliqua resultat actio.
 87 Talis actio resultans potius stipulationis, seu alterius contractus adhærentis, quàm transactionis est.
 88 Transactio re integra pænitentiam excludit.
 89 Nec etiam posito implemento ex una parte potest hæc à contractu resilire.
 90 Ea est transactionis natura, ut pristina actio extinguatur, & ab ea reus omnino liberetur.

PRO TRANSACTIONIS IMPLEMENTO EX PARTE

Actoris, & Rei.

- 91 **A**ctor per pactum nudum transactionem conficiens regularitèr ex sua parte non adimplet, ita ut sibi hujus contractus actio acquiri possit.
 92 Si actio ejus qualitatis sit, ut per pactum nudum evanescat, tunc sufficiens præbet actor implementum, ut actio sibi concedatur.
 93 Facta transactione per nudum pactum super actione injuriarum, actor ita transigens actionem adipiscitur.
 94 Consequitur etiàm actionem ex transactione per nudum pactum confecta actor super actione furti nec manifesti transactionem celebrans.

- 95 Hæc actio ex transactione per pactum nudum celebrata, etiam extenditur, quando transactio fit super actione furti manifesti.
- 96 Querela ipso jure non extinguitur, facta transactione per pactum nudum.
- 97 Actor plene adimplet liberando reum per acceptilationem, si transigatur super verborum obligatione.
- 98 Mota verò lite super alia qualibet actione, actor optimè adimplet, reum per stipulationem Aquilianam acceptilatione secuta, liberando.
- 99 Quod non solum viget, quando per verba affirmatiua componitur transactio, sed etiam quando per verba negativa conficitur.
- 100 Idem dicendum, quando actor liberationem offerat, reuatur verò reus.
- 101 Si transactio fuerit celebrata, & actor pristinam actionem tentaverit, consentiente reo, pristina actio suam sortitur effectum.
- 102 Cautio Mutiana non est sufficiens implementum actori eam offerenti, ad actionem transactionis acquirendam.
- 103 Si reus verò prædictam cautionem receperit, tunc sufficiens iudicabitur implementum.
- 104 Prædicta cautio Mutiana non est modus tollendæ obligationis ipso jure.
- 105 Cautio modalis non est sufficiens implementum ex parte actoris, ad actionem transactionis acquirendam.
- 106 Si autem reus eam pro implemento agnoverit, tunc sat erit prædicta cautio.
- 107 Transactio si ea cõventionione celebretur, ut reus præstet rem super qua lis movebatur, & actor illi pecuniam, vel aliam rem præstet, si reus prius adimpleat rem actori tradendo, actionem transactionis acquirat, qua actorem ad fidem contractus observandam adstringat.
- 108 Si verò ea fiat lege, ut res apud reum possessorem maneat, & ipse actori aliquid tribuat, reo prius adimplenti actio non conceditur.
- 109 Nec etiam illi datur actio, quando eo fit pacto, ut pars rei petita apud reum possessorem maneat, & altera pars tradatur actori.
- 110 Si in transactione promittat actor reum per acceptilationem liberare, & reus prius adimpleat, potest reus illum adstringere, ut ipsum per acceptilationem liberet.
- PRO TRANSACTIONIS ACTIONE.**
- 111 **A**ctio ex transactione profluens generalis præscriptis verbis nuncupatur.
- 112 Talis actio competit pro transactione celebrata sub quacunque forma.
- 113 Si ea lege transactio perficiatur, ut unus prius faciat, & alter det, si facti promissor prius adimpleat actione præscriptis verbis uti potest.
- 114 Hoc idem procedit, ubi ab eo, qui dare promisit, implementum prius est subsequutum.
- 115 Sequitur illa sanè difficilis quaestio, an celebrata transactione sub specie facio, ut des, cõpetat actio de dolo? Negativam sententiam arridet amplexari.
- 116 Celebrata transactione per pactum nudum, quo actor promisit à lite discedere, non datur cõdictio ob rem dati re non sequuta.
- 117 Confecta verò transactione per stipulationem Aquilianam acceptilatione sequuta, vel si alio quocunque modo actor suam actionem remiserit, quamvis reus conventa non præstet, sed præstare non recuset, nihilominus cõdictio locum non habebit.
- 118 Si verò reus omnino implere noluerit, & potius patiat, ut actor suam actionem condicat, tunc actor cõditionem intentare valebit.
- 119 Sed ista cõdictio non propriè dicitur cõdictio causa data, sed potius sine causa.
- 120 Post mutuum implementum per utriusque contrahentis consensum, si reus petat, quod causa transactionis dedit, rectè poterit actor pristinam actionem intentare.
- 121 Contrarium verò est si actio extincta per transactionem ejus erat qualitatis, ut nullo juris remedio reveviscere queat.
- 122 Si reus ex sua parte adimpleat, præstando quod promisit, ante quam actor præstet implementum, & eum à pristina actione liberet, nullatenus poterit condicere, quod causa transactionis dedit.
- 123 Si verò actor post rei implementum iterum actionem antiquam intentet, & reus exceptionem transactionis opponere non velit, tunc merito condicere potest.
- 124 Si actor præstare noluerit, quod ultra discessum à lite promisit, & reus consensiat, etiam repetere poterit, quod dedit.
- 125 Idem iudicatur, quando reus exceptionem opposuit, & iudex ea spreta, eum condemnavit.

PRO SIMPLICIS DONATIONIS CONTRACTU.

- 126 **D**onatio attentæ legis 12. Tab. dispositione, ad libitum fiebat, ita ut quis donaret quomodo vellet.
- 127 Isto tempore attento, semper postulat donatio robur stipulationis, ad suam validitatem.
- 128 Lege cincia statutum fuit, ut illa ampla facultas ad dodrantem restringeretur.
- 129 Isto tempore considerato, donatio magis modus dominij acquirendi dicitur.
- 130 Donatio deinde tripliciter celebrari potest, vel per stipulationem, vel per nudum pactum, traditione modo sequuta, vel etiã per nudum pactum absque traditione.
- 131 Primo modo donatio considerata, nempe stipulatione adjecta, tam tempore ff. & Cod. quàm hodierno jure inspecto contractus est.
- 132 Confectus donationis contractus, stipulatione adjecta, propriè talis non est, immo potius stipulationis contractus, causa donationis factus.
- 133 Actio ex hoc contractu dimanans, stipulationi causã donationis factæ tribuitur.
- 134 Licet donatio nudo pacto celebrata tempore ff. & Cod contractus non sit, attento verò Justiniani tempore contractus est.
- 135 Idem observatur in donatione celebrata per ipsum pactum traditione modo sequuta.
- 136 Dispositio de contractibus loquens ad donationem extenditur.
- 137 Hoc ita non procedit si ratio specialis in contrarium obstiterit vel materia repugnet.
- 138 Omnes illi possunt donare, qui contrahere valent, nisi ratio specialis contrarium suadeat.
- 139 Furiosi, & mentecapti nequeunt donare, nec ex contractu donationis obligari.
- 140 Pupilli, & infantes non possunt contractum donationis celebrare.
- 141 Donatio à filio familias facta valida judicatur.
- 142 Hoc tamen intelligitur de bonis peculij castrensis, vel quasi.
- 143 Filius familias de peculio profectio donare non potest.
- 144 Præcedente verò voluntate patris permittentis filium donare, tunc efficaciter obligatur.
- 145 Filius familias ff. tempore ponderato de peculio adventitio donare non potest.
- 146 Licet Cod. tempore attento filius familias in bonis adventitijs proprietatem habeat, attamen ipsam donare prohibetur.
- 147 Si filius familias non solum proprietatem, sed etiam usufructum habeat, rectè sine patris consensu donare potest.
- 148 Donatio simplex ad contractus juris civilis pertinet.
- 149 Idem asserimus de donatione stipulatione firmata.
- 150 Tempore antiquo attento, donatio nec nominatus, nec innominatus contractus erat.
- 151 Ex Justiniani dispositione donatio contractus nominatus est.
- 152 Ad prædictum tempus habito respectu, donatio specificas habet differentias, præstationesque certas in substantialibus invariabiles.
- 153 Actionem propriam sibi què specialem donatio producit.
- 154 Ad hoc ut donatio contractus nominatus sit consensum donatarij desiderat.
- 155 Donatio inter absentes absque utrorumque consensu facta non valet.
- 156 Donatio per consensum perfecta amplius revocari non potest.
- 157 Hoc tamen intelligitur, si de præsentis donatio celebrata sit.
- 158 Promissio de donando contractus donationis non intelligitur.
- 159 Donatio, ut nequeat revocari, acceptationem donatarij requirit.

PRO DONATIONE OB CAUSAM.

- 160 **D**onatio ob causam antiquo, & hodierno tempore attento inter contractus enumeratur.
- 161 Talis donatio contractus innominatus est.
- 162 In ista donatione, forma certa non invenitur, nec in illa specificæ differentia dantur.
- 163 Condictio ex capite rei non sequitur in tali donatione rectè admittitur.
- 164 Si tamen causa fuerit impulsiva, tunc talis condictio in illa denegatur.
- 165 In alijs verò donationibus ob causam, semper prædicta condictio locum habet, cum in eis omnimodo causa finalis est.
- 166 Pro donatione ob causam competit actio præscriptis verbis.
- 167 Maximum tamen dubium est: Utrum si in contractibus innominatis deficiente implemento ex parte illius, qui accepit ob casum fortuitum, possit ille, qui prius dedit, repetere quod dedit? Affirmantibus adhæremus.

PRO DOTIS CONTRACTU.

- 168 **D**OS formaliter, pro ut importat conventionem, qua res datur, vel promittitur, ut onera matrimonij sustineat, & eo soluto illam restituat contractus est.
- 169 Iste contractus duplicem involvit inspectionem.
- 170 Una inspectio vertitur circa obligationem, quæ mulieri acquiritur, ut dos soluto matrimonio, vel eo durante in casu inopie mariti sibi restituatur.
- 171 Altera inspectio sumitur respectu obligationis, quam maritus acquirit, ut ei dos tradatur ad onera matrimonij sustinenda.
- 172 Dos, considerato priori respectu, contractus nominatus est.
- 173 Hoc etiam ponderatos peciali forma, specifica differentia, finibusque in substantialibus invariabilibus potitur.
- 174 Pro dote competit actio propria.
- 175 Actio, quæ antiquitus erat ex stipulatu, (si stipulatio adjiceretur) vel rei uxoriæ (illa non interposita) nunc in actionem ex stipulatu transfusa est.
- 176 Ista actio solum acquiritur filix, si sit extra patriam potestatem.
- 177 Attenta juris communis dispositione ista actio simul patri acquiritur, & filix sub sacris paternis existenti.
- 178 Quod contrarium procedit attenda nostri regni dispositione.
- 179 Extraneo dotem pro muliere nubenti danti, sibi que præcaventi obligatio acquiritur, ut ipsi dotis, soluto matrimonio, restitutio fiat.
- 180 Si per pactum sibi extraneus prospiciat præscriptis verbis, si verò per stipulationem ex stipulatu actionem nanciscitur.
- 181 Marito si dotem sibi tradi per stipulationem prospiciat, actio ex stipulatu utroque jure attentato conceditur.
- 182 Si per simplicem dictionem à muliere dos promittatur, efficaci de dote actione maritus agere potest.
- 183 Similiter ex dotis dictione pater, ascendens, & mulieris debitor, ejus jussu dotem promittens firmiter adstringitur.
- 184 Attenta eadem juris communis dispositione, ultra supra relatos, etiam obligati remanebant extranei dotem per stipulationem promittentes.
- 185 Si talis promissio pacto, vel dictione simplici fuerit firmata, quod superiori casu judicandum non est.
- 186 Si verò loquamur attenda novioris juris dispositione omnes ex prædicta promissione obligantur.
- 187 Maritus ex sola promissione de sibi præstanda dote ad onera matrimonij sustinenda non tenetur.
- 188 Nec etiam ad restitutionem soluto matrimonio faciendam.
- 189 Dos respectu obligationis mulieri quæsitæ ad contractus reales spectat.
- 190 Sumpta verò dos secundum acceptionem, qua obligat mulierem ad traditionem dotis consensu perficitur.
- 191 Dos sumpta secundum prædictam acceptionem, secum defert conditionem, si nuptiæ sequantur.
- 192 Maritus, hoc respectu attentato, ante nuptiarum contractionem dotem petere nequit.
- 193 Contractus dotis utraq; obligatione attentata, quam producit, tam respectu mulieris, ascendentis paterni, vel ipsius mulieris debitoris, quam respectu mariti contractus nominatus est.
- 194 Respectu verò extraneorum pactum legitimum dicitur.
- 195 Ex promissione indefinita sine expressione certæ rei, & quantitatis pater dotem præstare tenetur.
- 196 Ex promissione indefinita dotis viro ab uxore facta nulla oritur obligatio.
- 197 Si promissio dotis ab extraneo indefinitè fiat, agere nequit maritus, ut congrua sibi dos assignetur.
- 198 Mulieris etiam tutor, curator vé ex incerta dotis promissione non adstringitur.
- 199 Secundum jus Canonicum matrimonij vinculum indissolubile esse constat.
- 200 In contractu dotis non admittitur condictio ob rem dati, re non sequuta.
- 201 Dos per acceptilationem potest constitui.

202 Pro implemento hujus tractatus venit illa satis difficilis inter DD. quæstio; Utrum si extraneus marito futuro dotem tradat, & ante quam nuptiæ sequerentur, decesserit, teneantur postea, sequentis nuptiis, hæredes consentire, ut dominium rerū dotalium ad maritum transferatur? Affirmantibus adhæremus.

PRO CONTRACTU EMPHYTEUTICO.

203 **V** Erbum Emphyteusis à verbo *Emphyteutico* legitime oritur.

204 Emphyteusis contractus nominatus est.

205 Emphyteusis optime definitur: *Conventio qua fundus, aut res immobilis solo cohærens fruenda conceditur in perpetuum, vel ad tempus ea lege, ut quandiu pensio in dominij directi recognitionem solvatur, auferri non liceat.*

206 Usus rei, & jus quodam domino finitimum, quod dominium utile appellatur, in Emphyteutam transfertur.

207 Contractus iste actionem propriam producit.

208 Condictio ex lege, vel præscriptis verbis actio pro isto contractu non competit.

209 Inter contractum Emphyteusis, & vectigalis essentialis differentia non datur.

210 Si aliqua reperitur diversitas inter illos est solum accidentalis.

211 Consistit hæc, unus à civitate, alter à privatis perficitur.

212 Ante Zenoniam constitutionem jam Emphyteusis erat contractus.

213 Contractus iste ante hujus Imp. Sancionem jam inter nominatos connumerabatur.

214 Quamvis varijs pactionibus possit constitui, attamen illius forma est invariabilis.

215 Contractus Emphyteusis essentialiter à contractibus Emptionis, & locationis differt.

216 Emphyteusis solum potest constitui super rebus immobilibus solo cohærentibus.

217 Emphyteuta durante tempore contractus, quandiu pensionem solverit expelli non potest.

218 Pensio solvenda in Emphyteusi non requiritur, quod consistat in pecunia numerata.

219 Damnum contingens in fructibus Emphyteusis, vel vectigalis contractus pertinet ad Emphyteutam, & non ad dominum directum.

220 Subemphyteusis essentiâ contractus gaudet.

221 Sicut Emphyteusis contractus nominatus dicitur, ita subemphyteusis.

PRO CONTRACTU CENSUS.

222 **R** Ecetè dividitur census in publicum, & privatum.

223 Census privatus, aut est reservativus, aut consignativus.

224 Reservativus dicitur, quia reservatur in re aliquo titulo in alium translata.

225 Consignativus census, sic nominatur, quia per illum quis super bonis suis, aut persona sua annuæ pensionis jus alteri consignat.

226 Census in hac acceptione considerato contractus dicitur.

227 Contractus iste nominatorum naturam sequitur.

228 Nihil officit, quod contractus iste sit consuetudine introductus, ut nominatus non sit.

229 Census consignativus nomine eleganti, invariabili forma, præstationibus certis cõdecoratur.

230 Obtinet etiã differentias proprias, & legis approbationem.

231 Propria actione, & sibi soli competenti fulsitur.

232 Sicut alij contractus pænitentiam non admittunt, ita similiter iste illam excludit.

233 Licet contractus iste in hoc sensu figurâ emptionis, & venditionis valeat confici, adhuc suam naturam peculiarem conservat.

PRO CONTRACTU PRECARIÆ.

334 **E** X contractu precariæ ususfructus rei tantummodo ad privatum transmittitur.

335 **P**recaria rectè describitur: *Conventio, qua res immobilis utenda, fruenda conceditur, ad tempus certum, vel alicujus vitam, ad ipsius preces.*

236 Renovatio de quinquenio, in quinquenium non est de substantia hujus contractus.

237 Contractus precariæ est nominatus.

238 Actio pro isto contractu competens ab illo denominationem accipit.

239 Nomine eleganti, & differentiis specificis, cæterisque nominatorum contractuum gaudet requisitis.

PRO PRECARIO.

240 **P**recarium definitur: *Illud, quod precibus utendum petenti conceditur tandiù, tandiù patitur is, qui concessit.*

241 Precarium per se, & simpliciter sumptum rationem contractus non habet.

- 242 Firmatum verò stipulatione precarium rationem contractus sibi assumit.
 243 In hoc casu non precarij, sed stipulationis causa precarij adjunctæ contractus dicitur, & actionem ex stipulatione producit.
 244 Pro precario simpliciter considerato actio præscriptis verbis conceditur.
 245 Actio ista irregularis, & extraordinaria est.

PRO ALTERA CONTRACTVVM DIVISIONE.

- 246 **C**ontractus rectè distribuuntur in illos, qui aut re contrahuntur, aut verbis, aut literis, aut consensu.
 247 Ista divisio non solum obligationibus, sed etiam contractibus accommodatur.
 248 Contractus, & obligatio in usu juris tanquàm synonima accipiuntur, differunt inter se tanquam effectus à causa.
 249 Supposito quod detur contractus mixtus; nihilominus hæc divisio diminuta non est.
 250 Obligatio, aut est naturalis merè, aut civilis nuda, aut naturalis insimul, & civilis, seu potiùs mixta.
 251 Naturalis mera obligatio in mero, & simplici consensu fundatur, & solo æquitatis vinculo sustinetur.
 252 Obligatio civilis nuda à mero, & rigoroso jure procedit.
 253 Mixta obligatio, seu naturalis insimul, & civilis continet causam naturalem, nempe consensum, & civilem, nempe legis civilis approbationem.
 254 Hæc mixta obligatio illicè veram, & efficacem gignit actionem, virtute cujus in judicio statim agi potest.
 255 Obligatio naturalis mera actionem civilem efficaciter non producit ad aliquid exigendum.
 256 Lex civilis huic obligationi aliquos effectus civiles concedit.
 257 Ex nuda civili obligatione, rigoroso jure attento, actio oritur.
 258 Attamen ponderato effectu talis actio, opposita exceptione, evanescit.
 259 Ex hac civili obligatione multoties actio oritur efficax, quando lex civilis exactionis effectum illi specialiter præstat.
 260 Literarum obligatio tunc contrahitur, cum quis, scripto alteri mutuo consensu tradito, confessus est, se ab eo certam summam mutuam accepisse, quam non accepit, nec intra bienniũ confessionem retractavit.
 261 Proposita obligatio ex literis propriè, & non ex mutuo provenire dicitur.
 262 Literarum obligatio si tempore cognita, & usitata fuit.

PRO EXCEPTIONE, AUT QUERELA NON NUMERATA pecunia in mutuo.

- 263 **E**xceptio, aut querela non numeratæ pecuniæ admittitur in mutuo, si intra legibus definitum tempus objecta, vel intentata fuerit.
 264 Tempus hoc antea quinquennium erat, postea Justinianus id tempus ad biennium restrinxit.
 265 Per Ordinat. nostram Regiam tale tempus ad sexaginta dierum spatium redactum est.
 266 Reus de non numerata pecunia in mutuo excipiens, querelam vè intentans intra legalem terminum probationis necessitatem in adversarium transfert.
 267 Numeratione verò à creditore non probata, reus absolvitur.
 268 Post legitimum tempus expletum non potest reus exceptionem non numeratæ pecuniæ actori objicere cum qualitate privilegiata in illum transferendi onus probandi.
 269 Hoc privilegium transferendi onus probandi in adversarium, conceditur tantummodo reo excipienti de non numerata pecunia.
 270 Quamvis reus, qui confessus est se recipisse pecuniam in mutuo exceptioni renuntiet, nihilominus tali renuntiatione non obstante, illi competit exceptio, aut querela non numeratæ pecuniæ.
 271 Talis renuntiatio ex intervallo emissa operatur, ut reus excipiens adversus ipsam non audiatur.
 272 In his terminis resultat præsumptio pecuniæ receptæ contra ipsum reum.
 273 Tabellio scribens renuntiationem exceptionis, quando debitor pecunias non accepit officium amittit.
 274 Debitor querens se maiorem summam cavisse, quam sibi numeratam esse, potest exceptionem intentare respectu illius partis non receptæ.

- 275 Reus excipiens de non numeratione non factum allegat.
 276 Facti negativi nulla est probatio.
 277 Creditori qui solutionis apocham debitori præstitit, ex omni causa, & contractu competit exceptio non numeratæ pecuniæ.
 278 Tempus creditoribus concessum ad prædictam exceptionem intentandam, est triginta dierum tantum.

PRO EXCEPTIONE, AUT QUERELA NON NUMERATA PECUNIÆ IN DOTE.

- 279 Exceptio non numeratæ pecuniæ admittitur in dote, quam maritus confessus est recipisse, pro ut in causa mutui admittitur.
 280 Eadem ratio affectionis, quæ in mutuo consideratur, respectu pecuniæ, eadem viget in dote respectu uxoris.
 281 Opposita exceptione non numeratæ pecuniæ, onus probandi non numerationem in mulierem transfert maritus.
 282 Hoc intelligitur si intra tempus à lege determinatum prædictam exceptionem opposuerit.
 283 Tempus à lege statutum in dote est diversum ab illo in mutuo determinato.
 284 Prædictum tempus, jure Cod. attento, erat intra annum à die mortis, vel repudiij, quocumque tempore dissoluti, vel separati.
 285 Jure tamen Authent. ponderato, si matrimonium biennio tantummodo duravit, & morte uxoris fuit dissolutum, vel repudio separatum, tunc habet maritus annum, ad exceptionem opponendam.
 286 Si vero ultra biennium usque ad decenium matrimonium duravit, habet maritus, aut ejus hæredes tres menses ad prædictam exceptionem, aut querelam intentandam.
 287 Maritus exceptionem in judicio intentans intra prædicta tempora eam perpetuat.
 288 Resolutio affirmans exceptionem in dote locum habere, procedit, quando confessio fit insimul cum promissione.
 289 Si autem promissio fiat, & postea confessio ex intervallo subsequatur, tunc exceptio prædicta minimè competet.
 290 Confessio dotis receptæ à marito ex post facto emissa adeo vera judicatur, ut non solum ipsi marito, & illius hæredibus, sed etiam creditoribus exceptio denegetur.
 291 Exceptio ista non solum competit marito, quando dicit se totam summam confessatam, sed etiam quando dicit se partem dotis confessatæ accepisse.
 292 Prædicta exceptio etiam locum habet casu, quo maritus illi renuntiavit.
 293 Sed ut talis renuntiatio marito non præjudicet, non ex post facto, sed incontinenti fieri debet.
 294 Tabellio prædictam renuntiationem in dotali instrumento scribens, amissionis officij pœna non punitur.
 295 Prædicta exceptio non solum habet locum, quando maritus confitetur se dotem recepisse à muliere, vel ejus patre, sed etiam quando ab ea accepisse confitetur.
 296 Hæc exceptio non solum marito, sed hæredibus, & illius creditoribus competit.
 297 Elapso tempore prædicto ad exceptionem intentandam, nec maritus, nec ejus hæredes amplius admittuntur.
 298 Marito non competit exceptio, si confessio de dote recepta fuerit geminata.
 299 Similiter contingit, quando ultra confessionem dotis receptæ adest fides tabellionis, ex qua efficax resultat numerationis probatio.
 300 Contrarium est dicendum si contra talem fidem maritus, aut ejus hæredes, vel creditores allegaverint non numerationem, & hoc legitime probaverint.



CONIMBRICÆ, Superiorum Gratiâ:
 Apud EMMANUELEM DIAZ Universitatis Typographum:
 Anno Domini 1685.

